usu Homerico distingueret. Quod quamvis ex plurimis scholiis eluceat, nullis tamen evidentius demonstratur, quam duobus illis ad B, 397 (4b) traditis, quorum alterum referendum est ad Aristonicum, hoc: ‚ἡ διπλῆ ὅτι οὐ γραπτέον, ὥς τινες, γένηται· ὁμηρικώτερον γὰρ οὕτως λέγειν ‚γένωνται τὰ κύματα', ὡς ‚σπάρτα λέλυνται'; alterum ad Didymum, hoc: ‚οὕτως αἱ Ἀριστάρχου· τοῦτο δὲ καὶ ὁ ἐκ τῶν ὑπομνημάτων λόγος ὑπόκειται ἔχων τῇδε'· ‚ἐπὶ τῶν κυμάτων λέγει, τὸ γένωνται· τῷ τοιούτῳ πλεονάκις κέχρηται, ὥστε καὶ ἐπὶ τῶν οὐδετέρων πληθυντικὰ παραλαμβάνει· μεταποιοῦσι δέ τινες γένηται, οὐκ ὀρθῶς. —

Quibus verbis cognoscimus, Aristarchum non assensum esse quibusdam aliis grammaticis (— τινὲς —), qui usum Homericum ab usu eius quo viverent temporis non distinguerent. Quorum aliorum ex numero primo loco Zenodotus est nominandus, qui plurimis locis, quibus Aristarchus scripsit pluralem, praetulit singularem, ut 17b (φύγον — εν), sine dubio, quod iam vidit Duentzerus [2]), permotus „volgari more loquendi". Qua in re non praetermittendum est, Aristarchum illis locis praecipue diplas adscripsisse, in quibus singularis omnino non potest legi, ut B, 135 (‚σπάρτα λέλυνται'), vel H, 6 γυῖα λέλυνται), aliis, quod rectissime observavit Larochius [3]). Sin autem vir ille doctissimus commemorans, plurimos inveniri locos in quibus et singularem liceat poni et pluralem, in illis Aristarchum probasse pluralem putat, assentiri ei nequimus. Non enim, ut pauca ad eam sententium refellendam afferemus exempla traditum est, Aristarchum 29a pro ‚φάρμαχ'· παύσῃσι legisse ‚..παύσωσι' vel 72a pro ‚οὔατ' ἀκουέμεν ἐστὶ . . εἰσί, quamvis his, ut aliis locis, metrum non obstaret, quin pluralem scriberemus. Aliis igitur rationibus adductus grammaticus ille subtilissimus pluralem quibusdam solis locis praetulisse videtur.

Priusquam autem ad rationes illas tractandas accedamus, operae pretium est quaerere, quaenam sint versuum sedes, in quibus numerus pluralis plerumque legitur. Exstat de

---

[2]) De Zenod. studd. Hom. Gott. 1848. p. 77.

[3]) Hom. Textkrit. p. 383.

hac re iudicium Naegelsbachi[4]) hoc: „Es ist wol nicht zufällig, dass das Verbum plurale mit Neutris pluralibus bei Homer nur unter bestimmten metrischen Verhältnissen erscheint, am Schlusse des Hexameters, am Ende der sogenannten bukolischen Tetrapodie, bei der trochaischen Caesur, bei der männlichen, bei der Arsis des zweiten und in der Thesis des fünften Fusses . . . der Plural tönt offenbar voller und kräftiger als der Singular." — Iam erit nostrum exquirere, utrum re vera pluralia solis illis a viro docto allatis an aliis quoque versus locis inveniantur. Accuratissime autem omnibus exemplis inspectis hoc statuendum est. Repperimus*) — Naegelsbachi primum sententiam respicientes — pluralia posita:

1. In fine hexametri: 32**) (ut 16ᵇ, Θ, 130 . . ἔργα γένοντο).
2. In caesura trochaica: 19 (6ᵇ, B, 464 . . ἐς πεδίον προχέοντο).
3. In caesura bucolica: 13 (23ᵇ, M, 159 . . ἐκ χειρῶν βέλεα ῥέον).
4. In arsi pedis tertii: 4 (43ᵇ, X, 266 . . ὅρκια ἔσσονται · ·).
5. In arsi pedis secundi: 4 (57ᵇ, δ, 437 . . πάντα δ' ἔσαν · ·).
6. In arsi pedis quinti: 1 (85ᵇ, φ, 50 . . πετάσθησαν δέ οἱ ὦκα).

Quos sex locos solos respexit Naegelsbachus, quum ne verbo quidem attigerit hos quatuor qui sequuntur:

Inveniuntur:

1. In arsi pedis quarti: 6 (67ᵇ, ι, 222 . . . ναῖον δ' ὀρῷ ἄγγεα πάντα).
2. In thesi pedis quinti: 6 (10ᵇ, E, 205 . . τὰ δέ μ' οὐκ ἄρ', ἔμελλον ὀνήσειν).
3. In thesi pedis primi: 2 (42ᵇ, Φ, 301 . . πλῶον καὶ νέκυες · ·).
4. In thesi pedis quarti: 1 (35ᵇ, P, 318 . . λύοντο δὲ τεύχε' ἀπ' ὤμων).

[4]) Anmerkk. zu d. 3 erst. Bb. der Ilias, 3. Aufl. von Autenrieth, p. 217, 18.

*) Versus iteratos semel enumeravimus.

**) Unum cuiusque generis exemplum afferre satis est.

His numeris allatis videmus legi pro numero exemplorum omnium plura pluralia: hexametro exeunte (tertia fere pars omnium: 32: 88); tum in caesura trochaica; deinde in caesura bucolica. Quaerendum igitur nobis erit, quaenam sint causae, cur his ipsis locis non aliis, ut in thesi pedis primi (2), vel in arsi pedis quinti, (1) maior inveniatur numerus pluralium. Quid est, quo differunt hi loci ab illis? Proponamus autem de hac re hanc sententiam. Erant illi loci — finis hexametri, caesura trochaica, caesura bucolica — eius generis, ut pluralia illa certe pleniora atque graviora, quod Naegelsbachus rectissime contendit, aptissime eis possent adhiberi. Formae enim, ut ‚πέλονται — ο, μελόντων, ἐγένοντο‘ aliae similes eius sunt naturae, ut, quod sane unusquisque concedet, nullis aliis hexametri locis melius sese accommodare videantur. Itaque hac in re omnino sequimur Naegelsbachum. Rem autem plane ad liquidum perduxisse illum ratione ea constituta nemo contenderit. Quapropter iam Autenriethius[5]) admonet regulam exemplis ab illo allatis deduci non posse. Sin autem ipse putat ‚poetam modo has modo illas praeferre formulas, licentiore quodam sermonis flumine‘ — nos quidem ei non assentimur. Quamquam enim ei concedimus, poetas in eligendis verbis formulisque maiore uti licentia quam prosae scriptores, tamen usum illum hac una ratione satis explicari negamus. Aliae igitur inquirendae sunt rationes.

Proficiscendum autem est hac in re a principali quasi ratione, usum illum neutrorum pluralium cum verbis pluralibus construendorum remotioris esse aetatis quam alterum, i. e. adhibendi numeri singularis. Linguae enim progressus is erat, ut paulatim numerus singularis potiretur absoluto quasi imperio, ita tamen, ut apud prosae scriptores, apud Thucydidem, Xenophontem, Platonem alios pauca remanerent pluralia. Qua principali ratione statuta quin pergamus ad singulas caustituendas rationes nihil impedit.

---

[5]) v. annot. ad Naegelsbachi verba add. p. 218.

Ac primo quidem loco colligantur; quae sequuntur:

I. Legitur pluralis in formulis quibusdam ex antiquiore loquendi usu traditis.

Huic classi attribuenda sunt omnia ea exempla, in quibus exstat numerus pluralis non ratione syntactica ulla esplicandus, sed e remotiore illa aetate vere Homerica traditus propagatusque. Quarum formularum quot sint vatibus illis proprie Homericis attribuendi non ita facile est diiudicatu. Tantum constare videtur poetas in ipsis illis formulis adhibendis certa quadam norma usos esse — quod quidem de aliis quoque rebus ad artem epicam spectantibus valere pernotum est. Leguntur enim omnia eiusmodi pluralia in ipsis illis locis supra a nobis allatis (cf. p. 28). Qua re metro quasi s t a b i l i t a e ideoque immutatae in omne tempus propagatae sunt. Quae si ita sunt, apparet, optime hanc rem observasse Aristarchum, quum ad 16[b], Θ, 130 ‚ἀμήχανα ἔργα γένοντο' adscriberet: ‚ἀρχαϊκώτερον συντέτακται καὶ πολύ ἐστι παρ' αὐτῷ τὸ εἶδος'. Vere enim formulam illam ex antiquiore usu loquendi traditam esse, illud docet, aliis locis multis subiectum ‚τὰ ἔργα', si circumlocutioni inservit, construi cum numero singulari, ut 13[a] ‚ὅπως ἔσται τάδε ἔργα'. Quod idem valet de creberrima formula illa 26[b] ‚σέο δ' ἐκ τάδε πάντα πέλονται', vel 39[b] ‚. . μετὰ φρεσὶ σῇσι μελόντων'.

Exstat autem in nostra lingua res huic simillima, quam paucis attingere operae est pretium. Obversantur enim nobis quum libri qui dicuntur sancti a Luthero in linguam vernaculam translati tum cantica illa ad usum ecclesiasticum ab eodem illo composita, quae omnia ab illa qua scripta sunt aetate ad nos pervenerunt. Tradita autem sunt non plane pristina forma, sed eo modo, ut partim verba formaeque ex antiquiore loquendi usu remanerent, partim alia pro illis e recentiore loquendi norma reciperentur. Videbimus autem formas illas antiquiores praecipue illis haerere locis, quibus retinentur metro vel potius, ut nostram carminum componendorum respiciamus artem, h o m o e o t e l e u t i s illis, quae dicuntur. Cuius rei exemplum commemorare satis est, quod exstat in celeberrimo illo cantico Lutheriano, hoc:

„Das Wort sie sollen lassen stahn:

. . . .

Sie sind bei uns wol auf dem Plan..“,

ubi „stahn“ pro nostro „stehn“ retinetur vocabulo „Plan“ consonanti, quum aliae formae e nostro loquendi more sint variatae. Ut tamen ad Homerum redeamus, habemus eius modi formulas fixas iteratasque has, quae sequuntur:

13b., 14., 16., 26., 28., 33., 39., 45.

Qua ratione modo illustrata non omnia pluralia explicari posse haud ignoramus. Studeamus igitur alias investigare rationes naturam exemplorum magis aperientes.

II. Commendatur pluralis rationibus syntacticis.

Quam in rem optime inquiremus, si primum ea tractamus exempla, quae facile rationibus talibus subiunguntur, tum ea, quae minus bene eis sese accomodant. Itaque transeamus ad rationes singulas.

a) Pluralis sequitur, si subiectum significat vel hominum vel animalium multitudinem.

Cui rationi attribuenda sunt:

2b. (ἔϑνεα), 6. (ἔϑνεα), 7. (αἰπόλια), 19. (ὄις, τά..), 22. (ἔϑνεα πεζῶν), 72. (νήπια τέκνα), 80. (φῦλ' ἀνϑρώπων).

Qui usus subiecti eius generis cum verbo plurali coniungendi omnino nihil prae se fert novi. Quum enim aliis nominibus neutrum plurale significet rei alicuius copiam, his, quae iam tractantur, personae vel animalia notantur, quorum per se quodque potest intellegi. Quamobrem non solum apud Homerum, verum etiam apud prosae scriptores, apud Thucydidem, Xenophontem, Platonem, inveniuntur eius generis pluralia, quam in rem viri docti [6]) in editionibus a se paratis inquisiverunt. Commemorare satis sit, apud Thucyd.

[6]) Praeter ceteros nominandi sunt:
Poppo, ad Thucyd. I., 126, 5.
Fr. Jacobs, ad Lysiae Theomn. I., 4.
Schoemann, ad Isaeum IX., 8.
C. Schneider, ad Platon. Resp. I., 353 B.
Rich. Porson, ad Eurip. Hec. 1141.

I., 58 legi ,τα τέλη ὑπέσχοντο', i. e. οἱ ἐν τέλει ὑπ. — Ut ad Homerum revertamur, non est, quod plura verba faciamus de exemplis, ut 2ᵇ. ,ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ . . ἐστιχόωντο', quibus verbis homines pugnantes notantur, vel, 6ᵇ. ,ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ . . ἐς πεδίον προχέοντο' vel, ubi de animalibus sermo fit, ut 7ᵇ. ,αἰπόλια . . ἐπεί κε νομῷ μιγέωσιν'. Qua de re satis dictum sit. Nam ,μῆλα' subiectum sequi verbum singulare, ut 66ᵃ. ,. . ἕσπετο μῆλα' et 132ᵃ ,. . ἐξέσσυτο ἄρσενα μῆλα — nemo miretur, quippe quo vocabulo, ut collectivo simili nostro „Kleinvieh" notetur vis pecoris magis quam singula animalia. Iam vero nihil obstat, quin ad aliam transeamus rationem, dicimus hanc:

b) Sequitur pluralis si res aliqua diversis locis vel diversis temporibus facta describitur.

Quo referenda sunt apud Homerum: 4ᵇ., 5ᵇ.

Quorum exemplorum in altero legimus: ,ἔνθ' ἢ ἔνθα γένωνται' — κύματα scil., Aristarchum si sequimur, qui recte nostra sententia, ut scholion refert, subiunxit illud ,γένωνται' subiecto ,κύματα'. Quod enim Freytagius [7]) contra hanc constructionem monet, ,κύματα γίγνεσθαι' dici non posse, quam ob causam praefert ,γένωνται' cum ,ἄνεμοι' subiecto construendum nobis non persuadet, quod poeta descripsisse videtur undas a ventis modo huc modo illuc pulsas. Cui sententiae non obstat, quod nusquam alias apud Homerum ,κύματα γίγνεσθαι' dictum reperitur. Sermonem enim Homericum haud ita raro praebere ,ἅπαξ εἰρημένα' nemo est, qui nesciat. Itaque Aristarchi constructionem retinemus cum Spitznero, quum alii, ut Ameisius et Faesius ,γένωνται' subiungant nomini ,ἄνεμοι', quod inest in ,παντοίων ἀνέμων'. Altero exemplo quum nihil novi demonstrari possit iam mentionem faciamus loci Thucydidei, qui luculentissime rem illustrat. Legimus enim Thuc. V., 26 ,ἀμφοτέροις ἁμαρτήματα ἐγένοντο', ad quam formam annotat Classenus [8]): „Der Plural des Verbums wegen der eben ausgesprochenen Beziehung auf verschiedene Fälle." — Quo exemplo sane memorabili allato transituri sumus ad novam rationem.

[7]) ed. Homeric. Il. primi duo libri, Petrop. 1835.
[8]) v. edit. Thuc. 1875. lib. V.

c) Legitur pluralis si subiecto adiunctum est numerale sive finitum, sive infinitum, quo res singulae magis elucent.

Cui rationi annumeramus haec exempla:
8ᵇ., 19., 21., 31., 32., 37., 42., 50., 57., 58., 63., 64., 66., 67., 74., 75., 77. Facile enim intellegitur, nomine numerali apposito, ut 8ᵇ. ,δέκα δὲ στόματ' εἶεν' vel ,πολλὰ' addito magis clucere rerum singularum notionem. Itaque si ad 32ᵇ. Π, 774 ,πολλα δὲ χερμάδια . . ἐστοφέλιξαν' scholion docet: ,διὰ τοῦ ᾱ 'Αρίσταρχος', grammatico illi assentimur, admonentes Alexandrinum clarissimum rationes quoque syntacticas hoc in usu respexisse. Memoria sane dignum videtur, apud Thucydidem simila exempla inveniri, ut si II., 8 legimus: ,καὶ πολλὰ μὲν λόγια ἐλέγοντο', quo plurali scriptor sane oracula multa multis locis pronuntiata significat., vel VI. 62. ,ἐγένοντο ἐξ αὐτῶν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τάλαντα', quo numerus certus talentorum elucet.

Neque tamen praetereunda sunt nonnulla exempla Homerica, quae huic rationi contradicere videntur. Dicimus haec quae sequuntur:
25ᵃ., 37., 70., 71., 73., 113., 115., 118., 123., 135., 139., 156.

Quibus quidem omnibus exemplis commune est, quod in eis subiectum est aut collectivum aut nomen simile ut 25ᵃ. ,ὀνείδεα πόλλ' ἅ μοί ἐστι', vel 37ᵃ. ,πολλὰ δ' ἀπ' αὐτοῦ ἔργα κατήριπε..' — circumlocutionibus autem saepissime inservire hoc vocabulum ,ἔργα' notissimum est —; vel 71ᵃ. ,θελκτήρια πάντα τέκυκτο', „Zauber aller Art," ut rectissime vertit Larochius, vel 123ᵃ, ,..ἤια πάντα κατέφθιτο', vel 115ᵃ.
σὺν δ' ἕλκεα πάντα μέμυκεν, ὅσσ' ἐτύπη·
quibus verbis vulnera omnia complectitur poeta, quo nobis quidem numerus singularis explicari posse videtur.

d) Verbi numerus pluralis efficitur nomine aliquo vel masculino vel feminino prope posita.

Attribuenda autem sunt huic classi: 49ᵇ., 66ᵇ.

Altero in exemplo: ,βλάβεν ἅρματα καὶ ταχέ' ἵππω,
αὐτός τ' ἐσθλὸς ἐών·

sub eodem ‚βλάβεν' et equi et ipse dux intellegendi sunt, in altero ‚πάντα φύονται' vere ad ‚πυροὶ καὶ κριθαὶ' verba proxime posita referendum esse nobis videtur.

En rationes syntacticae, quibus pluralium illorum haud ita parvum numerum possis interpretari. Neque tamen omnia exempla neque ratione illa primaria ad locos versus spectanti neque his syntacticis rationibus explanari possunt, nisi forte argumentis subtilibus magis uteris quam probabilibus.

Usus enim loquendi Homericus non est norma unius aetatis uniusque poetae, sed, quod hodie vix quisquam nisi obstinatissimas „unitarius" negarit, plurium aetatum, et remotioris illius, qua florebant vates Homerici, et recentioris cuiusdam, qua, quae composuerint illi, propagabant atque amplificabant rhapsodi. Quae si recte a nobis disputata sunt, a vero non aberraoerimus cum statuimus pluralia illa rationibus syntacticis non explicanda composita esse secundum loquendi usum illum antiquiorem, neutrius pluralis cum verbo plurali construendi. Quae ad hanc rationem pertinent exempla dividenda videntur esse in duas quae sequuntur classes.

a) Verbi forma ab omnibus codd. aeque est tradita.

Quo pertinere nobis videntur quae sequuntur exempla: 3b, 9, 15, 18, 20, 23, 24, 25, 27, 30, 31, 34, 35, 38, 41, 43, 44, 45, 47, 48, 51, 52, 54, 55, 56, 59, 60, 61, 62, 65, 68, 69, 70, 73, 76, 78, 79, 82, 84, 85, 86.

Quae exempla si accuratius inspexeris, non studebis investigare rationes syntacticas. Qui enim, pauca ut afferamus ad confirmandam hanc sententiam exempla, interpretari vis pluralia illa in 3b. ‚σπάρτα λέλυνται', quum in eodem versu ‚λέλυνται' iuxta ‚σέσηπε, i. e. δοῦρα' positum sit? vel 15b. ‚νίκης πείρατ' ἔχονται', quum alio versu, 42a. ‚ὀλέθρου πείρατ' ἐφῆπται' legatur? vel 18b. ‚..ὅσσόντ' ἐπὶ οὖρα πέλονται? Quamobrem hoc constare videtur, argumenta vel rationes indagare velle hac quidem in re non esse consentaneum. Attamen alia res memoria dignissima non debet

praeteriri, dicimus hanc, reperiri certam quandam in eiusmodi pluralibus adhibendis concinnitatem vel convenientiam, ut ita dicamus, de qua habemus haec.

Mirandum enim est primum pluralium illorum maiorem numerum praebere formas generis passivi, deinde harum formarum passivarum certas quasdam numero praevalere. Quae quidem omnia illustrentur hac, quae sequitur tabula:

1. Numerus formarum passivar. est = 32.
2. „ „ activar. „ = 9.
3. Inveniuntur exempla formae
   πέλονται — ο = 6.
   τετεύχαται = 4.
   ἐγένοντο = 3.

Qua re commemorata transeamus ad alteram classem.

b) Fluctuant maxime libri manuscripti in praeteritis.

Cui classi supponenda sunt haec exempla:
1b, 10, 11, 12, 17, 40, 46, 53, 71, 81.

Haec exempla, in quibus omnibus diversa de numero nobis tradita sunt — quae quidem discrepantia recedit ad Aristarchi et Zenodoti de hac re dissensionem — non minus quam illa modo tractata praebent aliquid memoria dignissimum. Primum enim omnia exhibent imperfecti numeri pluralis tertiam personam in ‚ον' exeuntem, uno excepto, 12b., in quo legitur forma ‚ἤιξαν'; tum his quoque in exemplis observari potest concinnitas illa iam supra commemorata. Nam decem illorum exemplorum praebent:

3 ἔμελλον
2 πέσον,

quum reliqua verba singulis locis legantur. Quibus in exemplis utrum vere, ut Aristarchus sine dubio analogia aliorum pluralium permotus, iudicabat, numerus pluralis, an, quae erat Zenodoti sententia, singularis sit legendus, nostro iudicio nemo pro certo poterit diiudicare. Formae enim plurales illae inter rhapsodorum recitationes facillime mutari poterant in singulares in ‚—εν' exeuntes. Aristarchus vero, quum exemplis, ut ‚σέο δ' ἐκ τάδε πάντα πέλονται' aliis similibus

observavset usum esse Homericum, in eiusmodi sententiis numerum adhibere pluralem, illas quoque formas vere Homericas sive antiquiores esse videtur putasse. Attamen haec res permanebit in dubio.

c) Singularis paullo certiore usu probatur in quibusdam formulis.

Quam rem multo brevius tractare nobis licebit, quum usus neutrius pluralis cum verbo singulari construendi nihil habeat miri, quippe qui pernotus sit. Si enim, ut supra demonstravimus (p. 6), numerus singularis paulatim reppulit pluralem, hoc ex ipsis carminibus Homericis optime potest disci. Nam iam apud Homerum, ut e tabula nostra in p. I. p. 24. data cognoscitur, praevalebat numerus singularis. Licebat autem illa aetate poetis adhibere et pluralem et singularem — si formulas illas traditas omittimus. Semper tamen hac in re tenendum est, neutrum plurale significare modo res inter se conexas, modo singulas per se intellegendas, ita, ut modo verbum plurale sensui sit magis accommodatum, modo singulare. Sed quoniam non solum longum, verum etiam difficilius est numeri singularis adhibiti in unoquoque exemplo causam indagare, satis est ea afferre exempla, in quibus, ut in formulis iterum iterumque adhibitis haerebat quasi numerus singularis.

Huc pertinent novem quae sequuntur exempla:

6ª. αὐτὰρ, ἐπεὶ κατὰ μῆρα κάη . .
9. . . . τόσσα μέμηλε . .
13. . . . ὅπως ἔσται τάδε ἔργα
16. . . . τάδε δὴ νῦν πάντα τελεῖται .
17. . . . μέλει πολεμήια ἔργα . (θαλάσσια)
35. . . . ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ . (ἀνέβραχε)
40. . . . κειμήλια κεῖται.
82. . . . θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.
99. . . . λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ.

Numerum enim singularem adhibitum esse in exemplis, in quibus subiectum est collectivum aliquod, ut 68ª. ,λάκε δ' ὀστέα' vel nomen rei alicuius copiam significans, ut 107ª. ,ὄφρα πέλοιτο . . θερμὰ λοετρὰ' vel nomen adiectivum numero

plurali adhibitum, ut 8[a]. ‚ἐπεὶ τὰ χερείονα νικᾷ‘ vel aliud his simile subiectum, evidentius est, quam quod accuratius tractetur.

d) Quanta sit usus fluctuatio exemplis demonstratur.

Rationibus igitur et pluralium et singularium explicandorum constitutis iam superest, ut quam luculentissime exemplis demonstremus — quod iam supra breviter attigimus (cf. p. 34) — usum illum apud Homerum nequaquam fuisse constantem. Quam rem sane probabilem illustrent quae sequuntur exempla, in quibus unum idemque subiectum altero loco constructum vides cum plurali, altero cum singulari, eo modo, ut inter utrumque locum non possit reperiri ulla sententiae rationisve discrepantia. Acquievimus igitur in ipsis exemplis afferendis:

18[a]. . . κύματα λείπει.	46[b]. . . κύματ' ἐπ' ἠιόνος κλύζεσκον.
21. . . ἅρματα κεῖτο.	48. . . ἅρματα . . ἐπέτρεχον.
26. . . κτήμαϑ' ἕποιτο.	84. . . κτήματ' ἔασιν.
33. . . τεύχεα ἔλαμπε.	35. . . λύοντο δὲ τεύχε' ἀπ' ὤμων.
42. . . ὀλέϑρον πείρατ' ἐφῆπται.	15. . . νίκης πείρατ' ἔχονται.
53. . . γούνατ' ὀρώρῃ.	86. . . γούνατα δ' ἐῤῥώσαντο.
54. . . τρομέει δ' ὑπὸ φαίδιμα γυῖα.	14. . . λύοντο δὲ γυῖα.
58. . . δώματα . . τέτυκτο.	24. . . δώματα . . τετεύχαται.
79. . . ἡνία δέ σφι σύγχυτ' . .	31. . . ἡνία ἠίχϑησαν.
80. . . δοῦρα πεπήγει.	20. . . ἄλλα μέν . . (δοῦρα) πάγεν ἄλλα . . ἵσταντο.
106. . . ὡς οὐκ ἔστι ὅρκια.	43. . . ὅρκια ἔσσονται·
124. . . δένδρεα μακρὰ πεφύκει.	62. . . δένδρεα μακρὰ πεφύκασι.
152. . . τὰ δ' ἀνέβραχε καλὰ ϑύρετρα.	85. . . πετάσϑησαν δέ οἱ ὦκα (ϑύρετρα scil.).

Sententia autem nostra nulla re evidentius confirmari posse videtur quam comparatis exemplis 124ª. et 62ᵇ., ubi quum in utroque loco idem sit subiectum — δένδρεα μακρὰ — in altero sequitur verbum singulare, in altero plurale, nullo neque subiecti neque omnino sensus exstante discrimine. Qua de causa, cur de re manifestissima plura faciamus verba non videmus.

e) De dualis numeri subiecto agitur.

Iam restat, ut paucis attingamus usum satis peculiarem, dicimus nominis ‚ὄσσε‘ subiecti cum verbo modo plurali, modo duali, modo singulari construendi. Habemus autem eius rei haec quae sequuntur exempla:

M, 466. . . ὄσσε δεδήει.
„ 617. . . ὄσσε πέσον.
P, 680. . . ὄσσε δινείσθην,
. . . .
εἴ που ἴδοιτο (ὄσσε).
Ψ, 477. . . ἐκδέρκεται ὄσσε.

Quod primum attinet ad ipsam formam, ‚ὄσσε‘ dualem generis neutrius e forma primaria ‚οκ-ιε‘ ortum esse putamus cum Curtio[9]). Uni vero eidemque subiecto modo pluralem, modo singularem supponi iam non miramur fluctuatione illa satis explanata. Illud tamen memoria videtur non indignum, duobus in exemplis M, 617 ‚ὄσσε πέσον‘ et P, 680 ‚ὄσσε δινείσθην‘ in altero pluralem, in altero dualem sane eam ob causam magis placuisse poetae quam singularem, quod in utroque loco oculi singuli animo obversantur. Quod iam Lobeckius[10]) attigit, quum annotaret: ‚ὄσσε φαεινὼ δινείσθην‘ explicemus eo, quod natura animantibus omnibus oculos binos tribuit‘. Numerum tamen pluralem iuxta dualem subiungi nomini numero duali posito nihil prae se fert miri, quum apud prosae quoque scriptores alter numerus adhibeatur pro altero.[11]) De tribus autem exemplis illis, in quibus legitur singularis — δεδήει, ἴδοιτο, ἐκ δέρκεται — hoc afferendum habemus, interpretanda ea esse ex analogia usus

[9]) v. Ell. etym. gr.[4]) p. 457.
[10]) Pathol. serm. gr. Ell. I., 262. n. 40.
[11]) Cf. de hac re Curt. gramm. gr.[10]) § 365.

illius neutrius pluralis cum verbo singulari construendi. — Neque praetermittendum est, dissensisse inter se veteres grammaticos de lectione in P, 680. Alii enim, ut scholion docet, quorum ex numero erat Aristarchus, ἴδοιτο praeferebant, alii ἴδοιο referendum ad Menelaum (,ἀποστροφὴν λόγου πρὸς τὸν Μενέλαον ἀπὸ τοῦ περὶ αὐτοῦ λόγου'). Editores autem partim ἴδοιτο receperunt, ut Spitznerus, partim rem reliquerunt in dubio, ut Larochius in editione scholarum in usum comparata. Nos quidem quum non habeamus, quod improbemus Aristarchi lectionem analogia illorum ,ὄσσε ἐκδέρκεται, δεδήει' confirmatam, satis de hac re dictum putamus.

f) De tribus versibus dubiae lectionis disputatur.

Priusquam autem finem faciamus huius disputationis, tractandae sunt tres lectiones vario modo traditae. Quarum prima exstat in M, 286 (62ª), ubi verba haec sunt (e Larochii ed. scil.)

. . ἄλλά τε πάντα
εἴλυται καθύπερθ' . .

Tradita enim sunt et εἴλυται et εἰλῦται et εἰλύαται, quum quidem veteres grammatici inter se dissentirent, ita, ut alii statuerent contractum esse εἰλῦται ex εἰλύαται — id quod nullo modo concedi potest — vel ex εἰλύεται, alii demonstrarent formam εἴλυται derivandam a verbo εἴλυμι. Eustathius utramque formam et εἰλῦται et εἰλύαται praebet. Editores partim receperunt εἰλύαται, ut Spitznerus[12]), partim εἴλυται (Ϝείλυται), ut Bekkerus[13]) et Larochius. Nos quidem εἴλυται praeferamus tertiam personam singularis perfecti passivi derivandam a verbo ἐλύω. Formam autem εἰλύαται, quamvis natura et formatione ipsa non minus probabilis sit quam εἴλυται, hoc loco improbaverimus, ideo, quod numerus singularis hac quidem sententia multo aptior videtur quam pluralis.

Iam veniamus ad alterum locum, σ, 238, 148ª

λελῦντο
,λελῦτο δὲ γυῖα ἑκάστου'.

[12]) Ilias, Gothae 1832.
[13]) v. Hom. Blätt. I., 152.

Traditae autem sunt formae et λελῦτο et λέλυτο et λελῦντο. Codices A D λελϋντο praebent. Scholion in cod. H exstans haec affert.: ,περισπωμένως τὸ λελῦντο'. Editores alii λελῦτο receperunt, ut Larochius, quamquam ad scholion illud annotat: ,quod Aristarchi fuisse puto'; praeter eum Ameisius [14]) quoque praefert hanc lectionem; alii autem, ut Bekkerus [15]), Faesius [16]), Nauckius [17]) ,λελῦντο' rectam esse lectionem putant. Ameisius vero ,λελῦτο' probans ,λελῦντο' ortum esse putat ex analogia soliti illius ,γυῖα λέλυνται', quod ϑ, 233. aliis locis legitur. Collatis enim exemplis huic similibus, ut 13[b], 14, 33 constat, semper talibus in formulis ,γυῖα' vel simile subiectum constructum esse cum verbo plurali. Accedit vero hoc loco ,ἑκάστου' apposito augeri notionem numeri pluralis. Qua re respecta quamquam formam ,λελῦντο' probabiliorem censemus quam ,λελῦτο', tamen hoc omnino excludendum esse non contenderimus eadem causa, qua lectionem modo tractatam (p. 39) in dubio reliquimus. Nam quod attinet ad ipsas formas, et ,λελῦντο' et ,λελῦτο' analogia aliarum similium formarum satis firmantur, ut δύη [18]) = δυίη, σ, 348, et δαινύατο = δαινυίατο in eodem libro 248, pro qua forma Larochius in libello „de hiatu" scripto, p. 26 proponit δαινῦντο firmatam lectione trium codd. DMP, qui σ, 428 exhibent δαινυντ' — quod quidem δαινῦντο illi λελῦντο plane respondet.

Restat una lectio tractanda, χ, 56, 153[a] ,ὅσσά τοι ἐκ-
α
πέποται καὶ ἐδήδεται' . .

Traditum autem est nota Etym. M. 316,25 Aristarchum hoc loco probasse pluralem — ἐδήδαται — Herodianum singularem — ἐδήδεται. Nos omnino sequendum esse Curtium [19]) censemus, qui contendens pluralem iuxta singularem esse mirum, ,ἐδήδεται' e themate ,ἐδε' amplificato ortum pro-

---

[14]) Anhang z. Od. 2. Aufl. 1872.
[15]) ed. Bonn. 1858.
[16]) ed. Berol. 1855.
[17]) ed. Berol. 1874.
[18]) Cf. Faesii, ad hanc formam annot.
[19]) V. Verb. II., 213.

fiteatur. Formam enim ,ἐδήδοται' a Larochio in textum receptam cum Curtio improbamus, „quum mutatio vocalis ε in ο a perfecto mediali sit aliena".

Tantum de lectionibus illis dictum sit.

g) Tota disputatio concluditur.

Iam quum ad finem pervenerimus huius disputationis eius quasi summam proponere erit consentaneum. Demonstrare enim studebamus haec fere:

Antiquissimis temporibus, e quibus documenta literarum ad nos pervenerunt nulla, *neutra pluralia* aeque ac masculina et feminina pluralia construebantur cum *verbo plurali*. Cuius rei documento sunt *formulae* illae ex antiquiore loquendi usu *traditae*. Paulatim tamen numerus singularis repellere quasi coepit pluralem, eo modo, ut iam *in carminibus Homericis*, quibus nulla nobis tradita sunt documenta vetustiora, *praevaleret numerus singularis*. Tradita autem sunt in carminibus Homericis exempla et vetustioris loquendi usus et quae ei sunt accommodata et quae recentioris prae se ferunt originis vestigia. Processus tamen linguae ab illa aetate Homerico profectus aetatibus quae illam exceperunt factus videtur esse ex hac principali ratione.

Quo magis in neutro aliquo plurali praevalet notio *personae* vel etiam animalis alicuius vel rerum *singularum per se intellegendarum*, eo certius adhibetur verbum *plurale*. Quo tamen magis recedunt quasi res singulae atque *in unam indiscretamque copiam* quodammodo concrescunt, eo certius adhibetur verbum *singulare*.

Vita.

Guilelmus Bauder natus sum a. d. V. Id. Mai anni huius saec. LII. in vico quodam Hassiaco nomine Koenig, patre Adamo, quo nuperrime defuncto gravissime afflictus sum, matre Catharina e gente Schloessmanniana. Fidei addictus sum evangelicae. Rudimentis literarum imbutus in ludo publico Offenbachensi, qua in urbe pater tum officio tabellarii publici fungebatur, ad res mercatorias agendas destinatus per paucos menses in negotia eius generis incumbebam. Qua condicione nequaquam contentus, quum ab initio ad studia illa liberalia tenderem, a Sartorio et Walthero, pastoribus summe venerandis, instructus, anno intermisso, sextum decimum annum agens receptus sum in classem IV. gymnasii Francofurtani, quod floret Tychone Mommsenio illustrissimo directore. Cui praeceptori carissimo meo omnibusque magistris meis summe venerandis, quorum disciplina per sex annos usus sum; denique civibus illis Francofurtanis nobilissimis, viris beneficentissimis, in primis Henrico Schwarzschild, fautori meo carissimo, quorum omnium liberalitate adiutus quum in gymnasio tum in academia in studia illa incumbebam adhuc, piam gratamque in omne tempus servabo memoriam.

Gymnasio relicto anno LXXIV. mense Aprili in numerum civium academicorum Lipsiensium receptus per sex semestria — quinto excepto — adii scholas virorum ill. Curtii, Drobischii, Fritzschii, Heinzii, Hildebrandi, Langii, Lipsii, Ritschelii, Roscheri, Voigtii, Wundtii, Zarnckii, Hoerschelmanni. Per duo semestria interfui disputationibus proseminarii philologici, primum Langii, tum Curtii ill. auspiciis; fui per tria semestria sodalis extraordinarius seminarii germanici, quod floret auspiciis Zarnckii ill., semestri denique

postremo sodalis fui societatis graecae Lipsio ill. rectore. Quinto autem semestri Berolini adii scholas Ernesti Curtii, Kirchhoffii, Muellenhoffii, Vahleni ill. Societatis germanicae auspiciis Muellenhoffii ill. fui sodalis.

Quibus omnibus, qui me docuerunt, viris summe venerandis, summas ex animi sententia ago gratias.